

† Fr. I. prof. Michael (Norbertus) Wagenlehner (1857-1935)

(*Vice-Prov. Brasil. Germ.*)

Die 4 Aprilis h. a. placida mors bonum Fr. Norbertum paene octogenarium a malo horrendo leprae liberavit et, sicut firme speramus, ad gaudia aeterna perduxit ².

Natus in vico Bavariae Eberspönt, paroeciae Ruprechtsberg, archidioecesis Monaco-Frisingensis, d. 2 Mart. 1857, puer ingenio pollens iussus est linguae latinae elementa addiscere, quia pia mater nil magis desiderabat quam Michaelem suum quondam ad altare sacrificantem videre. At Michael, cum milites sese exercentes spectare mallet quam grammaticae latinae insudare, a iudicibus portas Seminarii aperientibus reprobatus est. Mansit itaque domi, donec, mundi taedio affectus, sese Redemptoristis associare statuit, qui quidem in media ista « pugna culturae » in Bavaria penitus extinti non erant ³. Die 2 Iul. 1882 hospitium Bachham prope Heldenstein ingressus, luctamina et tentationes hand semel quidem expertus est, verum Dei gratia adiutus perseveravit et d. 25 Mart. 1888 in Gars votis religionis se Deo obstrinxit.

Opera ipsi inter nostrates iniuncta erat primo aurigae officium, postea coqui, quanquam eminentem artis culinariae peritiam nunquam in vita assecutus est atque hoc modo, etiam nolens, confratribus in acquirenda mortificationis virtute auxilio venit.

Cum a. 1894 Provincia Germaniae Superioris exteram Missionem in Brasilia susciperet, Fr. Norbertus sponte sua se obtulit fuitque inter primos septem Fratres servientes, qui cum sex choristis d. 29 Oct. 1894 Apparecidam advenerunt.

Sic igitur quatuor ultima vitae decennia non in patria, sed in Novo Mundo transegit, semper religiosus fervoris plenus, pariter orationi et labori intentus. Diligenter omnia sibi iniuncta suo tempore perficere studens,

¹ Haec maxima ex parte desumpta e foliis *The Record*, Perth, W. A., 1 Jun. 1935, ubi plura videre est.

² R. P. Martinus Forner, ipse quoque leprae victima, suo in rebus adversis socio aliquot paginas dicavit in foliis *St. Clemensblätter*, Oct. 1935, VII, 301-304.

³ Cfr. G. BRANDHUBER, *Die Redemptoristen*, p. 239.

Patri Ministro hora ante prandium culinam intranti plerumque laetus dicere poterat: « Reverende Pater, iam omnes cibi parati sunt! » Alios quoque confratres libens in labore adiuvabat.

Bonus Fr. Norbertus, qui per totam vitam semper commoda valetudine usus erat, in fine a Deo probatus est in camino tribulationis et repertus aurum purum. Abhinc fere quinque annos coepit ex pedibus laborare.



Itaque coram medico sistitur, qui veram lepram incommodi causam esse cognoscit. O miserum Fr. Norbertum! Paene semisaeculum contentus in familia S. Alfonsi vixerat et nunc, iam admodum senex, eam relinquere atque inter alios leprosos sibi passim ignotos vitae vesperam degere cogitur! Profecto sensit huius crucis pondus neque animi moerorem celare potuit. Verumtamen ex hoc quoque proelio interiore ope orationis duplicitatae vel triplicatae victor excessit.

De vastissimo asylo leprosorum Status S. Pauli (*Asylo Santo Angelo*) in foliis nostris iam sermo fuit¹. Inter miserandos huius « pagi » incolas Fr. Norbertus cum solacio suo haud parvo duos confratres invenit: R. P. Martinum Forner et alterum Fratrem laicum, qui tres Redemptoristae inde ad anno superiore in quadam domuncula separatis vivere sinnuntur².

¹ *Analecta* XI (1932), 56 sq.; XII, 262 sq. Cfr. etiam *St. Klemensblätter* VII (1935), 303.

² Vide *St. Klemensblätter*, l. c., p. 291.

Identidem Fr. Norbertus confessus est se gaudere, quod in asylo tam bene ad mortem se praeparare posset, id quod fecit instans orationi et lectioni ac meditationi. Infatigabili studio recitabat Rosarium coronamque septem dolorum B. M. V.

Volebat autem, quantum poterat, orare ante SS. Sacramentum, nec magnis pedum plagis retinebatur quin saepius in die ad aedem sacram ab habitaculo suo aliquantum distantem accederet. Quondam, cum appareret viribus plane exhaustus, monebatur ut potius supra lectulum iacens preces suas recitaret; at ipse respondit: « Parochus paroeciae meae Ruprechtsberg contionando dixit orationem supinam esse orationem pigram ».

Cum ob sorditatem sermones in ecclesia habitos intelligere non valeret, eo diligentius libros pios legebat, veluti S. P. N. Alfonsi meditationes ad mortem praeparantes, vel GOFFINE, *Handpostille*, vel folia pia periodica; mentis enim facultates servaverat. Ipse saepenumero mirabatur quod etiam in leprosario tempus adeo rueret.

Grato animo quodecumque Dei beneficium recipiebat. In domuncula, quam supra commemoravimus, duobus Fratribus laicis erat tantum cubiculum 3,40 metra longum et latum; nihilominus saepe exclamabat: « O nos beatos, quod domum propriam habemus, eamque tranquillam et a strepitu aliarum habitationum seiunctam! ».

Circa anni currentis principium Fr. Norberto maximus pedis digitus amputatus est, id quod dolorum acerborum causa fuit et carum confratrem lecto alligavit. Ut supersederetur nova operatione chirurgica a medico volita, aegrotans cum duobus confratribus novendialem instituit devotionem ad Servum Dei P. Gasparem Stanggassinger, quem olim bene noverat, nec frustra; operatio enim omissa est, quin etiam plagae magnae manuum pedumque se clauerunt. Extremam unctionem recipere voluit, quo tempore adhuc sui plane conscientius erat. Pane eucharistico cotidie vescebatur.

Fr. Norbertus in vita potius « homo aridus » fuerat; at quo magis finis appropinquabat, eo teneriores animi sensus manifestabat. Ultimam animae « catharsin » aliquot noctes dolorum summorum plenae attulerunt, in quo purgatorio constitutus Dei misericordiam tanta eloquentia implorabat, quanta vix orator sacer in peroratione sermonis sui facere possit.

Exodus ex hac lacrimarum valle fuit admodum pacificus, funus vero perquam honorificum. *Beati qui lugent; quoniam ipsi consolabuntur* (Mt. 5,5).